



00

9949

Qu


<i>Materia.</i>	<i>Prases.</i>	<i>Respond.</i>	<i>Locus.</i>	<i>Annus</i>	<i>Pagina.</i>
<i>Nova februm inter- mittensium Hypotesis.</i>	Hoffman.	Sattler.	Hala.	1694.	— 1.
<i>De Nitro, ejus natura et usu in Medicina.</i>	Hoffman.	Schmalzkal- den.	Hala.	1694.	— 21.
<i>Salis volatilis genesis, usus et abusus in Medi.</i>	Hoffman.	Berner.	Hala.	1696.	— 41.
<i>De Hydrope Pericardij rarissimo</i>	Hoffman.	Gratz.	Hala.	1697.	— 69.
<i>De Vena Porta porta malorum Hypochondriaco- Splenitico. Suffocativo- Hysterico. Colico. Haemor- rhoidariorum</i>	Stahl.	Gaetke.	Hala.	1698.	— 101.
<i>Proprympticon de Historia Medica Practica.</i>	Stahl.	— — —	Hala.	1698.	— 161.
<i>De motibz humoru spasma- ticis, à motu pulsu ordinarij diversis</i>	Stahl.	Coschwitz.	Hala.	1697.	— 169.
<i>De Impotentia virili.</i>	Stahl.	Ewaldt.	Hala.	1697.	— 221.
<i>De motu sanguinis haemorrhoidali.</i>	Stahl.	Juch.	Hala.	1698.	— 241.
<i>Proprympticon de morbis contumacibus.</i>	Stahl.	— — —	Hala.	1698.	— 281.
<i>De Haemorrhoidum internarum motu et Ileo Haematite Hippocrat.</i>	Stahl.	Gohl.	Hala.	1698.	— 289.
<i>Proprympticon de Spasmo medico.</i>	Stahl.	— — —	Hala.	1698.	— 321.


Materia.	Trases.	Respond.	Locus.	Annus	Pagina.
De temperamentis —	Stahl.	Richter.	Hala.	1694.	-329.
De Contracturis —	Vaterus.	Berndt	Vitemberg.	1696.	-377.
De Odoratu iusque pneignis lesionibus.	Berger.	Bergmann.	Vitemberg.	1694.	-401.
De Morbis Oculorum.	Berger.	Fahr.	Vitemberg.	1694.	-465.
De Hemoptysi. —	Sperling	Lebrun.	Vitemberg.	1694.	-521.
De Vulneribus Scapularū ingenere —	Dechlin.	Blank.	Kiloni	1674.	-545.
De Dolore Capitis. —	Paulus.	Bullman.	Lipsia.	1697.	-589.
De Haemorrhagia: uterina Matronae abortivae	—	Kneusfel.	Gisla.	1694.	-641.
De Convulsionibus —	Gerding.	Schmüter, low.	Gryphiswal dia.	1694.	-665.
De Febre Petechiali —	Schaperog.	Loffhagen.	Rostochij.	1696.	-711.
De Imbecillitate Ventriculi —	—	Koppren	Erfurti.	1640.	-749.
De Hectica Cardiaca.	Vestus.	Reymman.	Erfurti.	1697.	-771.
De Philosophia Hermetica vera et experientali.	Kiesling.	Martius	Erfurti.	1694.	-795.
De Phthisi —	Berblingh	Grienerb	Groninga.	1673.	-827.
De Mania —	—	Matthio.	Argentorati	1669.	-839.
De Tabaco —	Albing	Lebschius	Francofurti	1695.	-871.
Diacerta teson Helmontij	Vehr.	Scholz à schollentem.	Francofurt.	1694.	-903.
De Diureticis. —	Wedelig.	Witte.	Jena.	1667.	-927.
De fundamentis Letha- litalis Vulnerum.	Wedelig.	Sauber.	Jena.	1695.	-951.

gina.	Materia	Præf. s.	Respond.	Locus	Annus	Pagina	
29.	De Oleis destillatis	Wedelieg.	Rosenberg.	Jena.	1696.	975.	
77.	De Terræ?	Wedelieg.	Eckard.	Jena.	1697.	999	
	De Ambra	Wedelieg.	Baierus	Jena.	1698.	1035!	
01.	De Ructu	Wedelius.	Eckhard.	Jena.	1698.	1079.	
65.	De Paracentesi Thoracis & Abdominis	Stevogtius	Musæus.	Jena.	1697.	1107.	
21	Prolusio de Scarificatione Hydropticorum	Stevogtius	---	Jena.	1697.	1131.	
75.	De Delirio in genere?	Krausig.	Cummig	Jena.	1696.	1139.	
89.	De Opisthotono	Krausius.	de Rhoda.	Jena.	1696.	1155.	
41.	De Appetitu Ventriculi depravato in Pica et Malacia	Krausius.	Dehne?	Jena.	1698.	1175.	
65.	Propempticon de Nummis Gothicis.	Wedelius	---	Jena.	1698	1203.	
1.	Propempticon de morbo Nabalis.	Wedelius.	---	Jena.	1696'	1211.	
79.	71.	Illustria problemata circa venæ sectionem ac currentia	Schenkius.	Schüdtlin	Jena.	1667.	1219.
95.	De Singultu	Schenkius.	Hübnerus.	Jena.	1667.	1295.	
27.	De Hydrope	Rolfing.	Euthius.	Jena.	1667.	1343.	
39.	De Phthisi	Rolfing.	Schlegelius	Jena.	1667.	1390	
71.	De Synocha putrida?	Rolfine.	Schüster.	Jena.	1666.	1447.	
03.							
27.							
51.							

*[Faint, illegible handwritten text in a cursive script, possibly a ledger or account book, with some numbers and names visible.]*









14 377  
Q. D. B. V.  
INAUGURALIS DISSERTATIO MEDICA  
De  
CONTRACTURIS,

Quam  
DEO O. M. Fortunante  
*Ex Amplissimi & Gratosissimi*  
COLLEGII MEDICI

DECRETO

IN ILLUSTRIS VITEMBERGENSI  
SUB MODERAMINE

DN. CHRISTIANI VATERI,

Philos. & Med. Doctoris, nec non Pathol. Professoris Publ.  
Physici Provincialis & Collegii Naturæ Curios.

Collegæ meritissimi,

*Domini Patroni, Præceptoris, & Promotoris*  
*sui æternum colendissimi,*

PRO GRADU DOCTORIS

Summisque in *Medicina* Honoribus & Privilegiis  
rite capessendis,

AD D. XVII. SEPTEMB. A. M DC XCVI.

*Publico Eruditorum Examine submittit*

Horis ante & Pomeridianis

CHRISTIANUS BERNDT,

Physicus Hertzberg. Ordinar.

---

VITEMBERGÆ,

Typis CHRISTIANI KREUSIGII, Acad. Typ.

CONTRA...

PRO...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...


...

...





## Thef. I.



Illi demum abstrusiores  
 curatuque difficiliore*s* judi-  
 cantur morbi, quo penitio-  
 ribus Corporis humani sedi-  
 bus hospitantur, nullus for-  
 te obscurior graviorque e-  
 rit *Contracturis* istis,  
 quibus tot miseri mortalium  
 infestati non solum aliquot  
 menses, sed annos miserandum in modum tor-  
 quentur & contorquentur, ut omni etiam corporis  
 sui ope destituti, neque manuum, neque pedum mi-  
 nisterio frui possint, sed ab aliis solum modo in hanc  
 modo aliam partem moveri, cibum potumque &  
 omnia ad vitæ miserrimæ sustentationem ne-  
 cessaria expectare cogantur. Tametsi enim malum  
 istud in extremis tantum corporis partibus residere  
 videatur, oculisque omnium pateat, causæ tamen e-  
 jus non nisi in profundissimis viscerum culin*is* com-  
 muniter latent, ut etiam non solum ægri, sed Me-  
 dici quoque e naturalibus causam accersere sæpius  
 A 2 despe-

desperant prorsus, ad Dæmonem & fascinoes tandem referentes, quam per media naturalia invenire nequeunt. Thematis igitur hujus electionem svasit commiseratio erga visos ejusmodi ægros, quorum curam aliquando suscipere decrevi, nullo temeritatis pruritu adactus, neque inani gloriam captando libidine stimulatus, sed ut Thesisibus præsentibus eruditorum examini expositis, quantum auxilii per artem ægristalibus super esse possit, explorarem. Faxit Jehova feliciter!

Thes. 2.

**C**um malum hoc satis frequens curatuque difficillimum sit, mirari non immerito quis posset, cur tantum de eo inter Authores Medicos reperiatur silentium; forte quoniam aliis ut plurimum cachexiis & morbis complicatur, eorundemque nomine simul curatur; Quia tamen nihilominus a causis nimium diversis pendet, non abs re erit, easdem specialius quoque disquirere, ut, quæ cuilibet medela debeatur, eo magis pateat. Intelligo autem hic *Contractiones s. Contracturas Membrorum & Articulorum in voluntarias, constantes minusque dolorosas, cum impotentia extendendi & movendi, a musculorum eorumque tendinum & ligamentorum rigiditate & contractione inductas*: Quemadmodum etiam malo hoc deprehensi, quorum nimirum tendines, alias per naturam molles flexiles & mobiles, nunc rigidi, breviores & ad motum articulorum inepti fiunt, *Contracti*, claudi & valgi vocari solent.

Th. 3.

Et hæc ratione malum hoc distingvetur facile ab analo-

analogis artuum morbis, in specie a convulsionibus ita distinctis, ubi quidem membra quoque præter voluntatem ad motus & contractiones coguntur, sed cum dolore, easque minus constantes, imo quæ per vices remittunt, rursusque repetunt. Quæ etiam causa fuit, quare a Spasmi nomine abstinere nobis hic placuit, quoniam, nescio quo errore, in consuetudinem abiit, ut communi consensu potius convulsionibus & motibus convulsivis in Schola Medicorum tribuatur; Cum tamen natura sua, uti e *C. Celsio, Q. Sereno, Plinio, Sallustio*, aliisque Scriptoribus Latinis constat, rectius contractionem, vel contracturam, quam ruptionem & divulsionem exprimat. Neque etiam cum Paralyfi, aut Apoplexia, ubi partes quidem affectæ immobiles fiunt & rigidæ, absque tamen contractione vel abbreviatione musculorum, quin potius cum ex solutione sensusque tactus perditione, confundi poterit; Quamvis hi affectus toto die inter se complicantur, aut etiam mutantur; unde etiam Paralyfin pedum ex Colica vel Calculo ortam Paresin, & quando in contractionem abit, Pseudoparalyfin Medici appellare siveverunt; De quo *Schenkius, Gregor. Horstius, Platerus* & alii videri possunt.

Th. 4.

Quam multa igitur, & quam varia immobilitatis, convulsionum, aut impotentia movendi in corpore nostro se offerant genera, ab omnibus tamen dignoscuntur Contracturae in specie dictæ, modo ad omnes circumstantias & requisita jam insinuata sedulo respiciatur. In principio quidem tantum debilitas quædam langvor & torpor partibus imprimis articulis accidit, quæ tamen deinceps prævalente morbo magis magisque augentur; Accedunt manifesti & duri articulorum tumores, protuberantia, vel nodi circa articulos, quousque tandem membra ipsa con-

A 3 trahun-



trahuntur sensibiliter, decurtantur & admodum prorsus inepta redduntur : Sæpius enim malum ita invalescit, ut ægri nullum amplius membrum, vel articulum extendere sufficiant, & toti quasi in orbem, vel globum, contrahantur, donec diu satis afflicti penitus tabescant, aliaque mille mala experiantur, & (nisi cita medela ipsis contingat) omnium fere miserrimi & abjectissimi, sibi aliisque, amicissimis licet, molesti, lenta morte pereant.

Th. 5.

Tanti jam mali curam ut rite ingrediamur, ante omnia partes affectas, deinde causas admodum diversas sollicite inquiramus oportet. Adæquate quidem artus & articulos, sive omnes, sive quosdam hic laborare, nullum dubium est, sed primario tantum musculos, utpote præcipua & immediata motionum animalium organa, affici judicamus, eosque quoad tendines potissimum & membranas, utpote quæ molles alias per naturam & maxime flexiles, nunc chordarum instar rigescunt valde, indurantur & contrahuntur, ut etiam tumores nodi & fungi inter ipsas tendines tandem nasci videantur, quas quidem etiam ossibus, & imprimis eorum extremitatis seu Epiphisibus cohærere non ignoramus; Sunt enim molles istæ & spongiosæ, quibus succos stagnantes eo liberalius recipi ratio & experientia demonstrat: Quæ etiam ratio est, quod ossa præcipue infantum in hoc affectu incurvari simul & contorqueri soleant.

Th. 6.

Pertinent ergo huc omnes partes, quæcunque a musculis mobilitatem suam mutantur, non solum pedes, brachia, manus & digiti, sed etiam maxilla oris inferior quæ quandoque in cardine sua ita obrigescit & contrahitur, ut ne os quidem aperiri, aut cibus capi possit: Neque tota dorsi spina

na

na ab hoc malo tuta existit, quando a luxationibus, tumo-  
 ribus, gibbo, siccitate nimia in senibus, aliisque injuriis  
 muscoli ejus ita contrahuntur, aut solum quoad ligamenta  
 rigescunt, ut erecto ipsis corpore incedere nequaquam li-  
 ceat: Æque enim spina dorsi non unico osse continuo,  
 sed pluribus vertebrais, seu spondylis sibi invicem per gin-  
 glimum unitis constat, quæ præter *συνχόνδρωσιν* aptissimam  
 & ligamentorum firmissimam connexionem, musculo-  
 rum quoque tendines processibus suis excipiunt, quibus  
 pro lubitu in omnia motus genera corpus universum apta-  
 ri debebat & verti.

Th. 7.

Præterea tamen rarius domestica culpa articuli isti pati-  
 untur, sed plerumque aliorum viscerum pænas simul luunt;  
 unde etiam in sedes radicales inquirendum jam restaret;  
 Quoniam vero hæc mirum quantum variant, & profundis-  
 simis sæpe tenebris in viscerum intimioribus occultan-  
 tur, ideoque easdem potius inter causas e propriis earum  
 fontibus nunc observabimus.

Th. 8.

Quemadmodum autem in musculis primaria & pro-  
 xima mali hujus sedes reperiebatur, ita quoque ab eorun-  
 dem rigiditate & contractione, quæ tendines eorum qua-  
 si abscissæ vel ruptæ videntur, contracturas omnes imme-  
 diatè dependere judicamus: Si enim nullum plane mem-  
 brum extra & præter musculum, seu potius fibras ejus ner-  
 veas moveri potest, procul dubio neque articulorum con-  
 tractio absque musculorum contractione vel contorsione  
 fieri poterit. Musculi alias ex meris canaliculis nerveis &  
 vesicularibus, in fasciculos collectis, conflati & plus quam  
 mechanice artificiosissime fabrefacti, ideo tendineis suis  
 extremitatibus ossibus movendis tam laxè & apte cohæ-  
 rent;



rent, ut pro vesicularum & tubulorum istorum per Spiritum animale elasticum inflatione, tendines suas, iisdemque connexos artus per vices, & pro arbitrio animalis contrahere rursusque relaxare possint: Ita iisdem præternaturam induratis exsiccatis, contractis, vel contortis, membris pariter movendis idem contingere necesse est. *vid. Borell. de Motu Animal.*

## Th. 8.

Atque talem fibrarum tendinumque rigiditatem & contractionem innumeræ prorsus causæ inducere valent, quarum, ut potiores commemoremus, tres classes instituemus, ita, ut quantum res quæcunque Præternaturales, Nonnaturales & quoque Naturales huc faciant, seorsim patere queat. Ubi in antecessum monere sufficet, morbum huc nunquam simplicem reperiri, sed semper compositum, e cachexia quadam gravi, aut ad minimum extrinsecis læsionibus oriundum.

## Th. 10.

Præ omnibus aliis autem cachexia scorbutica accusanda hic venit; Dum enim in ea succi vitales a naturali & blanda sua dulcedine in acorem vel fædinem nimiam degenerant, non potest, quin data occasione etiam fibras musculorum vesiculares occupent, partes fluidas residuas coagulent, imo in tumores gummosos & tophaceos tartareos convertant, aut ad minimum fibras nimium exsiccant, unde quoque tendines indurari & immobiles reddi necesse est. *Incredibile est, inquit Celeberrimus Pechlinus observ. Phys. Med. XIX. quanta sit scorbutici salis etiam sero permisti malignitas, neque enim vel exquisitissimis blandimentis, ubi semel furere cepit, compesci se patitur solvit primum diruitque humorum coaguli que sanguinei contextum, eoque tandem diruto in solida debachantur, non temere*



*temere vel expellentibus aut repellentibus sollicitandum: Hisce enim intus continetur visceribus insidiosum, illis utpote acribus magis irritatum non tamen proinde desinit partibus, ad quas viam affectare solebat, exitium minari.*

Thef. 11.

Quæ sane omnia uti in scorbuto perfecto toto die experimur, quanto magis a discrasia illa sanguinis contagiosa, Lue nimirum Venerea sic dicta timendum; ibi enim ob excessivam & malignam salium degenerationem & corruptionem tanta succorum acrimonia acida, tantaque visciditas emergit, ut nullum fere viscus ab ea tutum evadat; Ipsa ossa crescente malo sæpius eroduntur & ad medullam usque cariota redduntur, multo magis eorum tendines & ligamenta corrumpi, aut solum corrugari, exsiccati, reliquas vero sordes crassiores & tartareas in tumores abire necesse erit.

Thef. 12.

In specie tumores duri, ut gummata, fungi, tophi, & similes undecunqve inter musculos eorumque tendines nati atro carbone hic notandi veniunt. Quoniam enim excrescentiæ tales in interstitiis tendinum ossiumque juncturis laxioribus aptissimum spacium inveniunt, non potest, quin omnem earum flexilitatem impediant; Immo interdum articulos cum ligamentis e sedibus suis dimovent, mirisque modis membra deformant & contorquent. Ab ejusmodi tumoribus fungosis in genibus pedes adeo contractos vidimus, ut calcanei clunibus proxime jungerentur. Quid fiet si tendines & ligamenta in osseam plane duritiem convertantur? Cujusmodi exempla videantur ap. Cl. Pechlin. L. II. obs. XL.

Th. 13.

Faciunt ergo huc quoque tumores in specie callosi musculorum

B

rum

rum & imprimis tendinum a vulneribus profundis & transversis, contusionibus aliisque injuriis extrinsecis inducti, ubi canaliculis eorum abscissis, ruptis vel solum contortis, non solum nulla, vel parca admodum succi nutritii & Spirituum animalium fieri potest distributio, sed neque fibræ ipsæ ruptæ & contractæ expansionem decentem amplius recipere possunt. Idem fit, si a luxationibus & dislocationibus artuum ligamenta ista ita distorquentur, ut neque succos spirituosos admittere, aut si admittunt, ab iisdem tamen moveri nequeunt.

## Th. 14.

Neque præterire hic possum ulcera, scabiem aliaque ejusmodi cachexiæ scorbuticæ exanthemata, utpote e quorum intempestiva suppressione multoties contracturæ oriri solent. A solis Achoribus male curatis in puero nobili genuum enormes fungos & pedum contorsiones novi, quales etiam a variolis vidi: *Salmuth, Observ. Med. C. I. p. m. 22.* Neque mirum; Ichores enim isti salso-acres & acidi, alias a natura ad ambitum corporis expulsi, facillime ad articulorum sinus tendinumque interstitia decumbunt, ex quo tumores & contracturas oriri modo observavimus.

## Th. 15.

Notabile est, quod ex Colica imprimis scorbutica nec non nephritide, arthritide & similibus non raro nascatur Paralysis, tandemque Contractura artuum, non quod eadem materia morbificans necessario ab intestinis ad eosdem regrediatur & transferatur; Sed sufficit, eandem colluviem serosam acido-acrem per arterias, aut simul per nervos, data quadam occasione, huc delabi: Tendines enim & ligamenta musculorum alias arctioribus poris constant, cui si aer frigidus, motio fortis, aut alia quædam

387

dam causa adjuvans accedit, facile fieri potest, quod ibidem quoque serum vitiosum decumbat & non solum dolores, convulsiones, aut paralyfes sed etiam contractiones efficiat,

Th. 16.

Non minus ab intemperie corporis sicciori idem malum oriri solet, ubi ex defectu roris nutritii tendines veluti exsiccantur corrugantur, & ad motum prorsus ineptæ redduntur. Hinc siccioribus & calidioribus subjectis præcæteris solenne est, & Atrophix vel Marasmo communiter jungitur: Ideo quoque senes & diuturno labore exhausti digitos & manus incurvos contrahunt, nec erecto dorso incedere valent; Cui si intemperies humorum viscida & tartarea accedit, eo quoque gravius eos malum premit.

Th. 17.

Verum longe plura adhuc mala restant, quæ hanc Articulis cladem conciliare solent. Quoties enim convulsivi membrorum motus in contracturas demum terminantur? Sive quod frequentioribus istis crispationibus fibræ musculorum corrugentur nimiam & exsiccentur, sive etiam laxentur & divellantur, ut inter laxatas tendines eo facilius lymphæ viscida & acida colligi & collecta in tumores congelari ac inspissari queat. Ita a mensibus suppressis non semel originem trahere observatur, quando scorix sanguinis scorbuticæ falsæ in fæminis cachecticis, per menstruam hanc purgationem evacuari solitæ, nunc ad articulos decumbunt; Cujusmodi insigne exemplum a *D. Salom. Reifelio* observatum habet *Bonet. Med. Sept. P. I.* Sed mireris quomodo vermes intestinorum universales contracturas cum mirandis aliis Symptomatis inducere possint. De quibus autem exempla videantur, ap. *Bonet. l. c. Part. I. Ræver. Cent. 1. observ. 16.* Procul du-

bio quoniam pullities vermium non solum insignes cachexias & putredines humorum supponit, sed easdem quoque recrementis suis quotidie auget, quæ si nervosum genus & artus occupant, hujus quoque mali, foecundissima ter existunt.

## Th. 18.

Ad hanc classem præternaturalium etiam spectant Venena imprimis Mineralia, quæ ingenti potissimum acrimonia acida visceribus non solum, sed nervoso maxime generi *νεκρωσι* inducunt, & totius sanguinis & seri Massam in eandem acrimoniam degenerare faciunt: Hinc mirum non est, quod Metallurgi, Aurifabri, Figuli, & alii, quando exhalationes ejusmodi arsenicales & mercuriales toties imbibunt, totales sæpius contracturas incurrant. Chemicum vidi, qui utriusque brachii contracturam hac ratione sibi contraxerat: Par ratio est, quando ab unguentis mercurialibus & similibus, ad necandam scabiem poriginem vel abigendos vermes exterius applicatis, pueri postea in hoc malum incidisse observantur.

## Th. 19.

Quod vero remotiores adhuc causas attinet, inter eas quoque, nostro malo generando multum non raro contribuunt infirmitates morbosæque dispositiones Generantium, quæ omnino in liberos influere, & proclivitatem saltem aliquam & aptitudinem ad ejusmodi infirmitates recipiendas inferre solent. Contingit certe non raro, quod non solum stamina fibrarum & ligamentorum nimis laxa, flaccida, aut etiam nimis sicca, sed imprimis quoque temperies & crasis humorum vitiosa & scorbutica a parentibus in liberos propagetur, quibus fundamentis male suppositis, licet etiam ab aliis erroribus quantum fieri

fieri potest, sibi caveant progeniti, has tamen artuum imbecillitates evitare vix possunt

Th. 20.

Ita porro ex rerum non naturalium Classe huc facit Aer nebulosus, frigidus, salsus & metallicis effluviis inquinatus, quoniam humores nostros iisdem non solum vitiis inquinat, corrumpit & condensat, sed & poros tubulosque fibrarum constringit, ut utriusque vitio mala hæc oriri facillime queant. Hinc etiam potissimum fit, quod maris accolæ, & maxime ipsi Nautæ ex longis & molestis navigationibus, scorbuto & contracturis adeo obnoxii videantur. Idem tamen præstant cibi & potus crassi crudi, viscidi, acidi, salsi & similia. Quantum vero veneris abusus animique Pathemata, imprimis Ira huic malo tribuere queat, quotidiana exempla Arthriticorum & Epilepticorum edocere queunt. Confer. *Crügener, Vere Chimico p. 470, de Contracturis ex ira.*

Th. 21.

Atque hæc fuerunt potiores, quæ malo huic ansam dare poterant causæ; Reliquæ autem ex his facile patent. Id saltem disquisitione adhuc dignum videtur, utrum Contracturæ etiam a fascino, vel veneficiis induci queant? Novimus quod multi veneficia & incantationes prorsus negare, omnesque effectus naturalibus, licet obscuris, maxime, principiis tribuere malint; Et dantur revera complures morbi, quorum causæ & remedia non æque statim obvia sunt, qui propterea non statim cum vulgo pro super naturalibus habendi; Fiunt etiam sæpius monstra uti in curis, ita etiam in serie causarum morbificantium. Nec tamen nullos propterea morbos a veneficiis, vel immediate a Dæmone ipso induci, judicandum mihi videtur; Diaboli enim potentia, quantumvis maxime

limitata, tanta tamen est, ut nulla alia, quæ cum illa comparari possit, reperiatur in mundo. Testantur id satis sacra & omni exceptione majora testimonia, quantum ex permisso Numinis Satanas ad morbos etiam per se inferendos valeat. Quemadmodum igitur Tumores, ariduras, convulsiones, cæcitates, sterilitates, aliaque mille mala, ita in specie quoque contracturas homini a Dæmone induci posse, nulli dubitamus. De quibus etiam si placet exempla legi possunt ap. *Sennert. Libr. IV. Med. P. 1. Wierum de prestigiis, Frommannum d. Fascinat. Thoner, observ. Med. l. 4. Timæum Cas. Medicin. l. 7. Heer. obs. p. 117. Borell. C. 2, obs. 86. Gabelchover, obs. C. 1. Ephemerid. German. Collect. A. 11, obs. 103.* Sed sedulo semper cavendum, ne facile admittantur talia, nisi omnia phænomena ultra sphaeram naturæ transcendere, aut manifestissima incantationum signa adesse observetur.

Th. 22.

Et tanta ergo causarum graduum & subjectorum nec non complicationum diversitate nunc apparet, quam variæ etiam Contracturis accidant differentiæ, ita ut aliæ sint recentes, aliæ inveteratæ, universales vel particulares, simplices vel compositæ, cum Scorbuto, Lue venerea, Marasmo, Paralyti, Apoplexia scirrhis & corruptionibus viscerum complicatæ; quæ singula omnino a Medico Practico curiose observanda, ut, quæ cuilibet speciei cura debeat, exacte judicare queat.

Th. 23.

Et juxta horum omnium normam etiam judicabit facile, quid spei in hoc malo reliquum esse possit, antequam curam ejus ingrediatur. Per se quidem aliud vitæ periculum non habet, nisi quod membris contractis sensim quoque nutrimentum denegetur, ut arescant penitus & emor-

emorianur; sed mora diuturna præterea totius etiam corporis marasmus, phtisin, hydropem, paralyfin, apoplexiam, aut alios, pro temperamentorum aliarumque circumstantiarum diversitate, mille morbos sibi comites accersit. Curam adeo faciliorem tantum admittet malum adhuc recens, minus inveteratum, aut aliis morbis pertinacissimis complicatum; Faciliorem quoque in Junioribus quam Senioribus, humidioribus temperaturis quam siccioribus, si cætera quidem fuerint paria. E contra difficillimam vel impossibilem prorsus eam reddunt morbi complicati scorbutus, Lues venerea, hectica, scirrhii & corruptiones viscerum, nec non tophi, fungi & gummata artuum; neque curabitur unquam nisi iisdem prius curatis & penitus sublatis. Ita quoque remediis, licet optimis difficillime cedit malum ab ipsis parentibus propagatum, aut etiam per incantationes & veneficia inductum, quemadmodum incurabile ferè judicantur, quod a profunda & transversa fibrarum & tendinum in vulneribus incisione ortum suum traxit.

Th. 24.

Sed nunc medendi Methodum delineaturi commode recordamur præcepti illius Hippocratis, quo *Lib. d. Natur. Human. Sect. 25. Text. 8.* curationem inquit morborum ita instituere oportet, ut causæ morbi nos opponamus, utpote qua curata etiam morbi sponte sua cedunt. Cumque igitur in nostro malo morbos alios ex aliis ortos & contracturas demum aliis supervenire observavimus, ideo quoque in istorum remotione, quoad per indicationes licuerit, præcipua opera insumenda; & inde universo corpori & articulis naturalis temperies restituenda, symptomata nova præcavenda & vires restituendæ erunt; Idque quibus remediis cuivis causa appropriatis fieri possit & debeat, breviter delineabimus.

Th. 25.



## Th. 25.

Diætæ quidem regimen adæquatum hic promittere non possum, eo, quod cuius morbo & causæ complicatæ specialis debeat; Nihilo secius tamen omnes Contracti monendi erunt, ut aerem nimis frigidum humidum, aut etiam calidum nimis & siccum itemque salsum crassum aut effluviis arsenicalibus, mercurialibus, & calce viva & similibus inquinatum omni studio evitare cogitent; Equidem his solis sæpe originem mali debere, antea in nauis, acolis maris, chimicis aliisque observavimus.

## Th. 26.

Ita quoque omnibus Contractis nocebunt alimenta crassa viscida, acida austera, salsa, fumo indurata & in specie piscium ac lacticiniorum genera, eo quod humores eodem caractere inquinant, nihilque magis, quam eorum stagnationes coagulationes præcipue in extremis partibus inducere possunt. Etsi quidem *Takius in phas. Soph.* contracturam totalem ex Arthritide relictam continuo lactis usu a se curatam glorietur, id tamen non nisi in subjectis siccioribus cholericis, & omni metu acidi morbo, alias hic communiter latentis, remoto successurum fore judico. Idem sentio de potu crasso acido,  $\text{Oso}$ ,  $\text{Eso}$ ,  $\text{Oico}$ . Hinc quoque vina omnia mihi hic suspecta sunt, nisi quod ad vires reficiendas interdum usus optimi & spirituosissimi concedi possit: In Moravia, Austria, Hungaria & alibi plerique arthritici podagrici & Contracti vinis suis crassis & tartareis mala sua in acceptis ferenda habent Teste *Schenkio Obs. L. I. p. m. 101.* qui innumeros ejusmodi ægros e finibus Danubii ex superiori Austria & Hungaria Cremsam linteis ad se deportatos esse perhibet, prorsus immobiles & infirmissimos, quos etiam plerosque decenti potissimum regimine & a vino abstinentia sanitati pristinae reddidit.

## Th. 27.



Th. 27.

Motus corporis alias sanitati maxime proficui hic prorsus deficiunt, indeqve omni studio, quantum quidem licet, promovendi erunt, quo ipso remora & coagulum humorum omnium optime inhibentur, salia morbosa resolvuntur & discutuntur, & circulus succorum egregie promovetur, indeqve ligamentorum robur conciliatur. Nullū certe remedium est, quo Agrestes & Operarii ab Arthriticis affectibus immunes servantur, quam motu; æq; enim ac Magnates, & magis sapius in diætæ regimine peccare eos novimus. Hinc etiam motuum defectui potissimum tribuo, quod ex hoc ipso malo diuturno demum paralyfes, apoplexia, hydrops aliaque mala evenire soleant. Somnus tamen maxime proficuus est, non solum ad virium, sed imprimis blandæ humiditatis, quæ omnibus fere deficit, refectionem & conservationem; Sed cavendum ne unquam opiatis aliisque narcoticis quærat, quibus tanquam venenis coagulatio humorum magis augetur.

Th. 28.

Neque demum ex hoc ordine moderamen affectuum animi negligendum; Cum enim Anima fluidi animalis in exequendis Artuum motibus proxime utatur, non potest, quin toties turbata ea sive per iram, sive per terrorem & tristitiam spiritus quoque deserat, confundat aut aliorum convertat, ex quibus in universum modo stagnationes & condensationes humorum, modo etiam confluxus inordinati & dissolutiones nimix nascuntur. Per accidens & casu tantum factum, quod Contractura per iram fuerit curata, uti de Consobrino suo refert *Valleriola L. 2. observ.* qui contractus pluribus annis, repentina ira percitus ita corpus suum agitavit, ut distentis nervis, poplitibusque laxatis & emollitis sine ullo doloris sensu mox incederet & erigeretur, quod per sexcennium ipsi denegatum fuerat. Cujusmodi subitanæ liberationis etiam à paralyfi exempla curiosa habent idem *Valleriola l. c. Gregor.*

C gor.



gor, Horst. L. II. p. 547. Isbr. de Diemerbroeck. Anatom. l. 8.  
c. 1. de Nerv. Thom. Bartholin. Act. Medic. Haffn. A. 1671. &  
seq. Steph. Blankard Collect. Medic. Phys. Cent. 3. cap. 49.  
Fieri enim potest, quod causa morbificans sive naturæ be-  
neficio, sive medicamentis antea exhibitis satis digesta &  
præparata a subitanea ejusmodi alteratione eo fortius  
commoveatur & excutiatur, e quibus tamen nulla nor-  
ma statui potest, aut debet.

Th. 29.

Sed præsentiora adhuc & efficaciora longè remedia  
tam curationi, quam præservationi inservientia habemus e  
pharmacia, ea tamen itidem ad causarum & tempera-  
mentorum diversitatem semper dirigenda. Ex quorum  
censu prima & universalia sunt Purgantia, quibus quidem  
in omnibus contracturis haut opus est, sed iis tantum, quæ  
cacochymiam scorbuticam aut similem supponunt, ubi  
omnino corpus ab impuritatibus superantibus liberare o-  
portet, nisi alterantia & confortantia, licet optima & largis-  
sime exhibita, ab iisdem superari velimus; Modo caveatur,  
ne fortioribus & drasticis blanda humiditas, alias commu-  
niter hic deficiens, absumatur. Eoque sine ergo tantum  
mihi probantur leniter & per epicrasin evacuantia. De-  
cocta & infusa è foliis sennæ, Mechoacanna, Rhabarbaro it.  
M. P. ¶rea D. Præsid. d. Gummi Ammon. ꝑius dulcis ¶  
¶latus, essentificatus &c.

Th. 30.

His pro necessitate sive in principio statim curæ, sive  
in progressu adhibitis, & per vices repetitis in ejusmodi Ca-  
chexiis conveniunt maxime Alterantia, quæ sangvinem  
scorbuticum acidum viscidum, aliisque malignis qualitati-  
bus imbutum, corrigunt, & pristinae dulcedini, fluidati &  
spirituositati restituunt. Apparet ergo quod univèrsa sæ-  
pius Scorbuti, Luis venereæ aliorumque complicatorum  
morborum remedia huc adæquate spectent, quæ tamen o-  
mnia hic afferre nihil attinet; Præ omnibus vero voto & ex-  
pecta-

pectationi Medici & ægri satisfacere hic novi Decocta & in-  
 fusa Lignorum & Radicum Chinæ, Sarsaparillæ, Scorzo-  
 neræ, Helenii, Liqviritiæ, Baccar Juniperi, Herb. Veron,  
 fumar Chamædr. Chamæpyth. Meliss. Rorismarin. Serpilli  
 & similitum familiari & continuo usu, ad modum Infusi  
 Thee vel Coffe adhibita. Quibus si generosiora quædam e-  
 g. Essentiæ antiscorbiticæ, Lignorum, viperarum, Suc-  
 cini Tinct. ꝑ ii, ꝑ ri, ꝑ ris, spiritus ꝑ ci, ꝑ ri volatiles & anisa-  
 ti, vel succinati, nec non Cinnabarina & Castorina interpo-  
 nuntur, eo citiorem & certiozem effectum impetrabunt.  
 Monendi autem omnino sunt omnes ægri & prædican-  
 dum iis, quod diuturnum nimis malum sit, unde licet pri-  
 mis septimanis, vel mensibus effectum medelæ manife-  
 stum non videant, animum tamen non despondeant; cum  
 morbi diuturna mora inveterati, & universa humorum  
 Massa degenerata etiam continuam & diuturnam altera-  
 tionem requirant. Th. 31.

Atque hæc omnia quoniam humores crassos viscidos  
 & acidos egregie resolvunt, & corrigunt, colluviem quo-  
 que morbosam cum urinis ægri expediunt; Quod si ve-  
 ro per sudores resolvi velit, etiam sudorifera specialiora  
 interponere licebit; Nempe Spiritus CC. S. & succina-  
 tum, ꝑ ri, ꝑ ium diaphoreticum, Bezoardica mineralia ri-  
 te præparata, materiam perlata Crügneri s. magisterium  
 ꝑ ii ꝑ tratum, ꝑ diaphoreticum, Arcanum corallinum a-  
 liaque; Modo caveatur rursus, ne frequentioribus, quam  
 par est, sudoribus serum alias deficiens nimis absumat.

Th. 32.

Commendatur hic etiam a Practicis Acidularum u-  
 sus, quod tamen non ita accipiendum, quasi, omnibus con-  
 tractis promiscue conducant, sed iis tantum, ubi malum ab  
 obstructione viscerum & sordibus ꝑ eis acidis fovetur, nec  
 jam tum tonus illorum viscerum fractus, & phtisis, hydrops  
 aut alia contra indicantia obstant. Tales enim beneficio  
 ꝑ i ꝑ tis subtilissimi, largissima aqua diluti, & cum regimi-



ne decenti haustæ etiam pertinacissimas sæpe obstructions referant, salia peregrina diluunt, obtundunt & per communia emunctoria feliciter eliminant. Neque tamen naturalibus semper opus est, sed sufficiunt, imo præstant sæpius artificiales, quæ pro corporum, causarum morbificantium & symptomatum varietate adornata non æque ac naturales fallere possunt. Empyricum remedium naturales acidulæ sunt, cum vix ita temperari possint, ut singulis respondeant corporibus, indeque non mirum, quod sæpius plus damni quam commodi afferant.

Thef. 33.

Sed generosissimum adhuc remedium internum habemus in Salivatione, mediantibus medicamentis mercurialibus instituenda, quando nimirum cachexia Scorbutica aut venerea maligna cum gummatis, scrophulis & fungis conjuncta reliquis hætenus laudatis remediis cedere renuunt: Nulla enim generosiora medicamenta universa pharmacia, quam mercurium & ex eo præparata habet, utpote quæ a calore actuata summa particularum tenuitate & mobilitate non solum intimos & remotissimos corporis nostri recessus citissime permeant, omnem visciditatem & lentorem humorum efficacissime resolvunt, & incantamenti instar fundunt, adeoque circulum eorum & transpirationem prompte restituunt, consequenter pertinacissimas alias obstructions expediunt, & quod præcipuum est, salia quoque peregrina acida & auitera, ubicunque etiam latent, avidissime arripiunt, absorbent & secum per vias excretorias eliminant, in quibus certe omnibus præcipuum curæ hujus momentum plerumque situm esse, ex serie causarum antea enumeratarum quilibet facile intelligit, ut adeo mirum sit, quare usum medicamenti ejusmodi Heroici, alias tamen per se innocentis, modo rite præparantem & utentem invenerit, adeo horreant Medici. Intermittendum tamen eum omnino svademus in infantibus, aut senibus derepitis, nec non gravidis, phtisicis,

cis, hecticis, languidis & similibus. Neque etiam un-  
guentis linimentis & suffumigiis mercurialibus opus esse  
judicamus, sed sufficit solus  $\Psi$ -tus dulcis, aut etiam diapho-  
reticus, & arcanum corallinum Paracelsi rite præparata &  
cum decenti regimine gradatim, interne solum propinata.

Th. 34.

Nunc tamen, etiam extrinseca remedia afferenda  
sunt, utpote quibus non minus, imo interdum solis impa-  
ctum articulis serum dissolvitur & pristinum tendinibus  
robur ac tonus firmus restituitur. Quo fine inserviunt  
maxime Balnea, Cataplasmata, Linimenta & Emplastra.  
Balnea & infusus imprimis propter largam humiditatem  
& teporem emolliendi, laxandi & resolvendi sine excel-  
lunt, præcipue si Plantæ simul emollientes & nervinæ in-  
coquuntur, unde certe insignem usum habent in Contra-  
cturis cum siccitate rigiditate, nec non tumoribus duris,  
gummatibus nodis & tophis conjunctis. Commendan-  
tur quidem etiam Balnea sudatoria Laconica & sicca, quo  
etiam Thermæ sive naturales, sive artificiales spectant,  
qualia tamen non nisi in declinatione morbi, ubi robur &  
tonus ligamentis & tendinibus reddendus, concesserim;  
Alias enim novi, quod his mediantibus sæpius turbulentus  
tantum & inæqualis motus humorum inducatur, absque  
tamen ægri juvamento, quin potius cum materiæ morbifi-  
cantis ad interiora præcipitatione, membrorumque nimia  
exsiccatione.

Th. 35.

Balnea tamen quia poros laxant, facile etiam *σάρον* seri  
majorem inducere queunt, quatenus laxatis poris humo-  
res illabuntur largius, sed nec æque prompte refluunt, un-  
de præter interna discutientia & subducentia antea laudata  
etiam alia extrinsecus adjuvantia in usum trahere oportet.  
Adeoque post Balnea commode inunctiones membrorum  
instituntur ex Ungv. Dialth. Nervino, Martiato, ad Contra-  
cturas specifico Hartmann. Oleo mirabili Cardiluc. phi-  
losophorum, Lumbricorum  $\Psi$ str., Lauri, Juniperi, Ma-  
stichis



stichis Castorei, Galbani, Chamæ, Ruth, Aneth, Nardi & similibus, quibus ligamentis rigidis & contractis non solum flexilitas sed & robur restituitur, humoresque restitantes egregie resolvuntur.

Th. 36.

Ad augendas & conservandas has unguentorum vires addantur, si opus visum fuerit, Emplastra ejusdem virtutis, quæ id simul commodi habent, quod aeris frigidus hic valde noxii accessum, nec non diffationem & evaporationem unguentorum applicatorum inhibeant, & motum eorum ad interiora magis promoveant; quod etiam in tumoribus imprimis maximè necessarium esse duco. Hinc Emplastra Diachyli cum Gummis, Diaphoreticum Mynsichti, d. Spermate ceti, de Ranis Vigonis, Oxicroceum & similia maximam laudem merentur; Quibus si character malignus & venerus sub esse videtur, prudenter gïalia quoque junguntur, eo quod longe efficacius humores viscidos resolvant & disjiciant, quo nomine Emplastrum de Ranis c. Mercurio præ cæteris excellit; habito tamen respectu ad ætatem, temperamentum & statum morbi aliasque circumstantias, ne intempestiva eorum applicatione plus noxæ, quam commodi agris afferatur. Fecimus enim jam supra eorum mentionem, qui ex unguentis Mercurialibus ad abigendos vermes vel scabiem idem malum contraxerunt, quibus ergo potius præter interna Cinnabarina, gïta, castorina, succinata &c. externa quoque balsamica & nervina commendanda erunt.

Th. 37.

Sed præter hætenus laudata tam interna quam externa remedia, multum quoque ad membrorum contractorum correctionem facit manuum instrumentorumque, ad hanc rem idoneorum opera, quando articuli balneis scilicet & linimentis emollientibus ac roborantibus prius satis foti sensim suaviterque per vices modo extenduntur, modo flectuntur, eo usque continuando, donec

par-

partes istæ suâ sponte & pro necessitate moveri possint ;  
De quibus quoad operandi modos & instrumenta legi  
meretur Guil. Fabricius *Observat. Chirurgic. Cent. 1. Obs.*  
*83. Et de Combustionibus c. 15. De Digitorum vero curvo-*  
*rum Chirurgia in specie C. Celsus L. 7. C. 22.*

Th. 38.

Hac occasione disquiri meretur utrum ne tendines  
Musculorum & quomodo penitus dissectæ consuendo cu-  
rari queant, quæ alias discissæ nimium in se coeunt, con-  
trahuntur, & contracturas membrorum, quibus debentur,  
prorsus incurabiles relinquunt. Absurda enim & ni-  
mium periculosa operatio hæc multis visa est, eo quod  
tendines istæ, ex meris fibris nerveis fasciculorum instar  
collectæ, propter exquissimum sensum non admittant  
commode ejusmodi puncturas & suturas, acubus institu-  
endas ; neque relictis a suturis filamentis fieri posse, fi-  
bras tam facile tamque decenter consolidari & uniri, quo  
minus, æque ac absque suturis sanatæ, cicatricem callo-  
sam indeque immobilitatem eandem retineant. Verum  
enim vero, licet dolor eo ipso ad momentum renovetur  
vel augeatur, tamen eo citius quoque cessat, quò aptius  
læsæ partes restituuntur ; & quo arctius tubuli vel canali-  
culi fibrarum sectarum adducuntur, eo minus alia & cal-  
losa intercedere potest substantia, spiritibus autem natu-  
ralis transitus conceditur. Consentiant nobis *M. Aurelius*  
*Severinus Chirurg. efficac. l. 2. cap. 123. Guido D. Vulneribus*  
*Tr. 3. c. 4. Job. Veslingius Obs. Anatom. 15. p. m. 90.* qui testatur,  
se miratum olim fuisse hominum audaciam in consuen-  
dis tendinibus, sed felicem successum in variis exem-  
plis, & vix notabile à peracta curatione detrimentum ti-  
moris vanitatem arguisse, liberrime profitetur ; Et *Ambros.*  
*Paræus libro 122. Cap. 10.* refert, se Nobilis cujus-  
dam, è Memmorentiorum Familia, tendines pollicis peni-  
tus resectos ita percurasse, ut militarium armorum omne  
genus captare & tractare impofterum potuerit, cum an-  
tea,



tea, desperato coalitu, rescindendum non semel vir strenuus quæsiisset pollicē; cuiusmodi etiam exempla insigniora à Celebris Chirurgo sibi Cornelioque Solingen communicata recenset *Corn. Stalpart van der Wiel Observat. Rarior. Cent. 2. obs. 45.* Cujuscunque igitur musculi tendine resectâ membrum cito decenter reponendum, deinde utraqve tendinis extremitas filo sericeo perforanda & interposita corii particula caute constringenda, ne rumpantur facile, & tamen arcte rursus uniantur: Quo facto pulvis Therebinthin. coctæ inspergitur vulnusque balsamis digestivis & vulnerariis tractatur. Ita musculi quicunque abscissi curabuntur, ut licet membra, absoluta cura, non nihil contracta appareant, sensim tamen linimentis fomentisque in subsidium adhibitis laxitatem & mobilitatem suam recuperare queunt. Confer. *Celeb. Nukius Observat & Experiment. Chirurg. l. 2. c. 11. & Job. B. à Lamzwerd. Appendic. ad Armamentarium Chirurg. Scult. p. 137.*

Th. 39.

Atque sic omnis Contractis hætenus prospectum esse confido, nisi quod pro diversitate membrorum interdum aliæ atq; aliæ Enchirises requirantur, quas tamen ipsæ Præses facile edocere queunt; Ita si contingit, quod musculis colli, vel potius Capitis flexoribus in alterutro latere abscissis, alterius lateris musculi constringantur & convellantur, non solum contractis emollientia applicanda, sed imprimis laxatis & vulneratis naturalis unio & contractio reddenda, alias omnis cura irrita erit & insufficiens: *Cl. Nukius l. c. Experim. 26.* musculi nimis contracti in malo inveterato discissionem svaedet, ut eandem cum suo Antagonista laxitatem acquirat & sic debita colli figura restituatur.

Th. 40.

Reliquæ contracturæ a luxationibus ossium, vertebrarum dorfi, atrophia & similibus oriundæ nihil peculiare habent, nisi quod causæ primariæ remotiorem præ cæteris efflagitent. Neque Contractis a Fascino & Veneficiis alia, quam antea laudata naturalia commendanda; Quæ vero a Frommanno, Carrichtero aliisque commendantur superstitiosa, nobis non probantur: Tantum hac vice.

SOLI DEO GLORIA.



1535 66


ULB Halle  
005 308 526

3



1535





cor  
alfu  
per  
a sec  
etio  
vide  
i,  
niff  
san  
ec &  
oris  
fca  
vine  
; T  
era  
ne  
s al  
ipr  
ent  
is a  
ei e  
oti  
mu



B.I.G.

Farbkarte #13

377

Q. D. B. V.  
INAUGURALIS DISSERTATIO MEDICA  
De  
**CONTRACTURIS,**

Quam  
DEO O. M. Fortunante  
*Ex Amplissimi & Gratosissimi*  
COLLEGII MEDICI

DECRETO  
IN ILLUSTRIVITEMBERGENSI  
SUB MODERAMINE  
**DN. CHRISTIANI VATERI,**

Philos. & Med. Doctoris, nec non Pathol. Professoris Publ.  
Physici Provincialis & Collegii Naturæ Curios.  
Collegæ meritissimi,

*Domini Patroni, Præceptoris, & Promotoris  
sui æternum colendissimi,*

**PRO GRADU DOCTORIS**  
Summisque in *Medicina* Honoribus & Privilegiis  
rite capeffendis,

AD D. XVII. SEPTEMB. A. M DC XCVI.  
*Publico Eruditorum Examine submittit*

Horis ante & Pomeridianis

**CHRISTIANUS BERNDT,**  
Physicus Hertzberg. Ordinar.

VITEMBERGÆ,  
Typis CHRISTIANI KREUSIGII, Acad. Typ.

